



Taubmann. axiomate

approbatum semel reprobari non potest 148. 13
quod semel placuit amplius displicere non debet 129. num. 4.

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29
30
31
32
33

L. L. 9
M. M. 6 10



74 2221

DISPUTATIO POLITICA
DE
TYRANNIDE,


Quam
Divini Numinis asistentiâ

In
Inclytâ ad Albim Academiâ

SUB PRÆSIDIO
VIRI CLARISSIMI
DN. M. FRIDERICI HOLTZMANNI,
Facult. Phil. Adjuncti, Præceptoris
sui devenerandi.

Publica ventilationi subjicit
JOHANNES LEONHARDUS SALITERUS
Lipsiâ Misnicus A. & R.

In Colleg. Minori ad diem. XXVIII. Novemb.
horis antemerid.



WITTEBERGÆ
Typis JOHANNIS RÖHNERI, Acad. Typogr.
ANNO 1719 c XLIX.

M. A. Krüger
X21X

Amplissimo, Clarissimo juxtim ac Doctissimo

Dn. Wolffgango Oelschlegelio,
Sereniss. Elect. Saxon. Mareschalli Aulici Gene-
rosi ac Nobilissimi Dn. Heinrichi à Tauben à Secretis,
Affini suo ac Patrueli.

Nec non

Prudentia, integritate ac usu rerum Conspicuo

Dn. Johanni Wurmb, Mercatorii
ordinis Noribergæ Primicerio, avo suo obse-
quiose pariter ac religiosè venerando.


hoc quicquid est Thesium, quod per exiguum est, observantiæ
honoris ac commendationis ergò

dat, dicat, Consecrat,

Johannes Leonhardus Sauterus.
Autor & Respondens.



PRÆLOQUIUM.


 Uanta regiminis in Rep. sit dignitas atq; præstantia, id lustranti leviter tantum mortalium mores atq; ingenia non potest non esse cognitum atq; perspectum. Quorundam quippe animis laxæ cujusdam disciplinæ vitæq; dulcedo infidet adeò, ut si sibi relinquuntur, à semet-ipsis abire nesciant, & ad semel contractum mollitiei & voluptatis situm abstergendum. Planè non videantur sufficere. Alios pestilens ille & assiduus avaritiæ ventus ita affligit, ut variis studendo artibus facultates suas reddant quam amplissimas, quàm in proximùm nihilosecius sint difficiles, susq; deq; habentes. Quare cum tempora nostra ita affligantur colluvie horum, & ex vitiis eorundem speranda molliora non sint fata, Resp. utiq; quomodo Recto-

A 2

ribus

ribus possit carere, non video. Enim-
verò dentur quidam privatorum forte vi-
ventes, qui non tam deliciis, inertis luxu,
aut livore, quàm virtutum studiis occupa-
rint ætatem, quosq; hoc nomine virtus sua
facile absolvat, dentur inquam tales; at
nonne expositi invidentium contumeliis
creberrima sine defensoribus sunt exper-
turi discrimina, metusq; ab his præsentio-
res instare sibi animadvertent? Et cum a-
liàs maturè admodum à rectis in vitia, à vi-
tius in prava, à pravis in præcipitia perve-
niatur teste Velleio Paterc. l. 2. c. 1. non sanè
adeò illi sibi cavebunt, quominus eorum
jugo succollantes amicè tandem cum iis
conspirent. Quo nomine cum liquidius
jam constet, Rectores illos solos esse fulcra
ac columina inclinatae fortunæ nostri secu-
li, utiq; si dispiciamus de iis, non abs re vi-
debimur fecisse. Tum quod honori eo-
rum ac dignitati in primis hoc dandū omni-
no sit, tum quod his nos ipsos deberi, & ab
eorum

225,
eorum nutu unicé pendere, ipsa nobis in-
culcet ratio. Tacebimus tempestates con-
tumacissimumq; belli furorem, qui toto sæ-
pissimé impetu in eos se explicat atq; effun-
dit; at curas saltem laboresq; librare cui va-
cat, quibus capitibus subditorum per pro-
pria discrimina quàm prolaxisimè caven-
do semetipfos destituunt sæpiusculé, huic
pronuntiare de Magistratum dignitate,
promptissimum videlicet fuerit.

Hos ergò viros moribus, rerum u-
su, consiliorum divinitate, & rectissimo in
subditos amore inæstimabiles, incompara-
bilia togæ hæc pariter ac sagi decora si quis
scriptis celebrare dubitet, næ is piaculum
committere, & in eorum peccare divinita-
tem existimandus esset.

Cæterum, cum quod usu venit, tam boni
quàm mali ad privatorum exemplum repe-
riatur Magistratus, de utrisq; etiam politico
esse agendum, quis in dubium vocare co-
netur? præsertim cum contraria juxta se
posita magis magisq; elucescant.

A 3

Quare,

Quare, quod laudandi & quidem laudandi impēsius boni principes sunt, id vituperandi scriptis abutentes concessæ potestatis prærogativa, ut mores eorum & ingenia seculo reddantur quàm odiosissima.

Nos divino freti auxilio, de his iisdem in præsentiarum acturi sumus. Quod si verò aliquid humani passi fuerimus, lege humanitatis tuti & legentium confisi animorum moderationi ac facilitati, quâ procul dubio sibi constabunt, veniam nos in primis adhuc per adulescentes haud ægré impetraturos, quam modestè petimus, prorsus confidimus.

Thesis I.

Ut itaque ab ovo incipiamus, quædam de Tyrannidis etymo libanda sunt, cujus absq; præviâ cognitione, vix in retrusorem ipsius vocabuli significatum descendere licebit. Debet ergo Græcis suos natales, quibus *τηγεωνειν* idem est ac dominari, unde *τηγεωνος* Dominus vel Rex. Sic quippe Trogus. Reges, inquit, ad ejusmodi fastigium Majestatis spectatâ inter bonos moderatione proveci Tyranni ob fortitudinem vocabantur. Hinc Euripidis illud: *σοφοι τηγεωνοι των σοφων συνουσια*, h. e. Sapientes fiunt Reges sapientum consuetudine. Breviter: Olim dicebantur Tyranni, qui potestate erant perpetuâ in eâ civitates quæ libertati asseverat. Æmil. Prob. in *Miliad.*

Thes. (II.) Vocabuli autem hujus reverentia ac dignitas uti olim per fuit magna, tam detestanda etiam tractu temporis inole-

2127
inolefcentibus nempe Imperantium per licentiam vitii est reddita. Ad eundem ferme modum, ut quemadmodum ex ingenio aut scelere hominum, ipsarum etiam rerum indolem affirmari aliquando, sic vocabulorum æquè videamus. Pollicem premente Flacco.

Multa renascentur quæ jam cecidere, cadentque,

Quæ jam sunt in honore vocabula, si volet usus.

Cum enim ii, quibus summa rerum erat concredita, imo ipsi erant admoti scepro, malis studerent artibus, ac sibi metipsis sic indulgerent, ut calcata subditorum salute, legibus afflictis insultarent, nomen una cum re abiit in odium, dignique habiti sunt, quibus hoc nomen & quidem quam convenientissimè aptaretur.

Libata denominationis ratione, ad Tyrannidem ipsam delabimur, cujus ante omnia æquivocationes ut evolvamus operæ videtur esse pretium, quæ multorum matres fœcundæ ac genetrices errorum esse consueverunt.

Accipitur ergo Tyrannis (1) pro Regno Barbarorum Arist. 4. Pol. 10. Quia barbaris rudi plebi ac inconditæ, quæ labore sensuq; sortis suæ facile monebatur, se obsequio non imperio esse genitam, in usu erat. (2) pro Rep. ubi unus extra ordinem admotus subditorum seu civium salutis primario non studet, quæ & Regnum appellatur. Vocat Aristoteles hujusmodi Moderatores *αἰσωνήτας* quales Græci agnoscebant, Reip Curatores, nulla habita ratione ordinis, cum absolutâ & omnimodâ potestate creatos.

Thef. (III) Remotis igitur obstaculis ac impedimentis, quæ nos aliàs in cursu nostro retardare videlicet potuissent; rectâ accessum facimus ad ipsam Tyrannidis definitionem, quæ diversis diversa est, (1) definitur: Quod sit violentum unius imperium præter mores & leges; quæ Definitio non videtur esse satis congrua, nec numeris omnibus absoluta. Cujus quippe genus est æquivocum, dum pendere quis facile potest, num violentum dicatur aut ratione acquisitionis aut administrationis. Præterea nullus etiam annexus est finis, qui

qui tamen necessario debebat adesse. Definitur porro: Quod fit Imperium, in quo unus homo, divinis ac naturæ legibus solutus, rebus alienis ut suis, & liberis hominibus quasi mancipiis ad libidinem abutitur. Nobis rectius ex Philosophi mente sic definitur. *Τυραννίς ἔστι μοναρχία ἧτις ἀνυπεύθυνος ἀρχει τῶν ὁμοίων καὶ βελτιόνων πάντων πρὸς τὸ σφέτερον αὐτῆς, συμφέρον, ἀλλὰ μὴ πρὸς τὸ τῶν ἀρχομένων, i. e. Tyrannis est Monarchia s. Resp. Monarchica ubi unus summam potestatem habens imperat melioribus omnibus ad suam, non verò ad subditorum salutem.*

Thef. (IV.) Definitio constat Genere & Differentia specifica, quæ in practicis ex fine interno sumi consuevit. Genus ergò in hac nostra Definitione est Monarchia, i. e. Resp. quæ ex unius imperio ac voluntate unicè dependet, dicitur hæc ἀμὸν & solus, unicus, solitarius & ἀρχω, quod denotat principatum obtrineo, impero. Est ergo ejusmodi Resp. in quâ unus imperat. Per hoc distinguitur Monarchia ab Aristocratia & Democratia. Quadrat huc non incongruè simile fortissimi Regum Alexandri Magni illius cognomine, qui, quemadmodum Univerfum hoc duos hant capere soles, ita nec Regnum seu Monarchiam duos pati Reges admodum regiè exclamasse fertur. Requiritur (2) ad Monarchiam, ut unus summæ præsideat potestati: Quæ in re cum Tyrannide Monarchia æquè convenit. Quam enim potestatem fovet ac tue-tur Rex in suo regno eandem sibi arrogat Tyrannus in suos subjectos, & uti ille nullis parer legibus nisi patriis ac divinis, ita hic pari ratione nullis se devinctum agnoscit.

Thef. (V.) Cæterum, ut ut hæc sese ita habeant, & quamvis horum potestas à se invicem videatur non planè divertere ac dissentire perfunctoriè nimirum & oculis nil minus quàm curiosis lustrantibus, ita accuratius ac consummatori paulò iudicio librantibus, mirum quantum à verâ imperandi lege Monarchiâ puta, hoc vitium Tyrannidis abire sanè sit, facili-mè occurret.

Ratio-

2129.

Rationem occupationis utrorumque regnandi modorum quodsi, uti par omnino est, examinemus; (1) diversissima utique se nobis aperiet. Cum quippe Rex s. Monarcha optimo titulo aut per electionem, aut successionem ad Imperii fastigium evehatur, occupetque beneficiis subditorum animos, Tyrannus vero è contrario ambitione ut plurimum, largitionibus, aut malis denique artibus, subditorum simplicitati insidietur, deceptæque insultet, eamque ad extremum quasi corripiat.

Thef. (VI.) Rex deinde imperat subditis prudenter; temperatque clementiâ ac benignitate imperium, ut subditis in proclivi haud sit, utrum eum potius vereantur, an ament. Tyrannus autem contra ea iis, & quidem invitis violenter imperat, ac dominatur vehementissime. Ex quo fluit, quod cum Rex ex eo hunc percipiat fructum, ut eorum facilitas ac studia eum contra vim externam hostiumque machinationes custodiant, sistantque incolumem. Tyrannus contrariam in partem quam prolixissime ab ipsis subditis sibi cavete habeat necesse.

Thef. (VII.) Constituit tandem differentiam specificam, quod Rex publicam subditorum utilitatem ac emolumentum curet; Tyrannus ad privatum commodum, postposita plane subditorum incolumitate, respiciat, manumque vigilantem propriis, plus quam decebat, ad movere soleat. His autem curis qui vacat, qui quæso rationem honesti habere potest, cum tantum sibi quod est utile ac placet, agat, disputante Aristot. 5. Polit. 10.

Thef. (VIII.) Ad specialiores autem Tyranni actus si descendamus ac mores, mira nobis assurget horriditas. Qui, ut pacatè imperet, resque suas optimè tranquillet, sapientioris ac limatioris iudicii hominum vitam perimit. Quod est fermè improbitatis ingenium, ut tollere primo aveat, quos suis conatibus adversari intelligat, atque id si non possit, ad obrectationes ac calumnias descendat. Satius enim hic ducit, intempestivam sibi multorum annorum prudentiam,

B uno

uno refecare ictu, quàm timere eam diutius, quam ægerrimè tandem ab Invasoris exitio sibi esse temperaturam, callidissimè conjicit. Hac curà perfunctus cives potentiâ(2) quæ ejus sufflaminare conatus in inferiores possit, quod & ipsum ex altâ quasi specula videt ac despicit, exuit, & hoc pacto enervat. Atq; cum in singulis quod non est virium, in universis extimescat(3) omnes conventus interdicit, ne in eum conspicientes, fœderatis viribus commune periculum propulsent, quos facilè novit grandiori torqueri irâ, ob derogatam potestatem, nec ullo aut vili sanguine, sed proprio restringendâ. Hoc laborans metu, ad eum dolum(4) descendit, ut inter divites & pauperes lites excitet, præbeatque sufficientem rixandi materiam, quò se ipsos consumentes, paulò parcius timere possit. Vagatur tandem longius, ac pestilentissimè(5) affligit studia ac bonas artes, ne homines incipiant sapere, vel, ne ejus scelera vix ultra aliquot annos in ejus detestationem duratura, decoris ingeniis intervenientibus ad secula & ætates usque spargantur. Sic Scholas Aristotelicas passim abolevit Caracalla, ipsiusque combusit libros teste Philippo Melanchtone in Chron. p 404. Immodica(6) tributa imperando, onerat fortunas civium. Plerunq; etiam illum tam perdendi quàm rapiendi aviditas invadit, ut sicut nec asvetæ nec legitimæ opes, ita nec ulla tributorum acerbitas tantam voraginem expleat, satisfaciatque desiderio. Quas si non tam ex prodigæ mentis morbo, quàm efflagitantibus patriæ rebus exposceret, næ ipsi diuturnâ Tyrannide non in odium magis, quàm reverentiam ac metum crescente, ultrò conferrent.

Thef. (IX.) Libatis itaque moribus Tyrannorum medisque, quibus potestatem suam astruere, ac in eodem dignitatis conservare gradu videbantur, rectâ ad ipsius Tyranni divisionem devolvimus. Dantur autem hi in triplici differentiâ.

Thef. (X.) Alii enim sunt occupatione tantum Tyranni, alii administratione tantum, alii occupatione & administratione simul.

Thef.

Thef. (XI.) Occupatione tantum Tyranni sunt, qui malo titulo regni scalas ascendunt majestatemque alienam violantes, eam sibi vendicant, ac violenter se subditis obtrudentes, Remp. tamen laudabiliter capeffunt, studiisque suis favent subditis, tales aliàs Tyranni titulo tantum appellari consueverunt.

Thef. (XII.) Administratione tantum Tyranni sunt, qui quidem legitimo modo ac prætextu sumfere imperium, sibi tamen posse in haud constantes, concessâ semel potestate abutuntur, ac Reip. seu Regno pessimè moderantur. Vocantur hi exercitio tantum.

Thef. (XIII.) Occupatione & administratione simul Tyranni sunt, qui nec modo legitimo corripiunt imperium, nec Reip. uti par erat, legitimè student. Vocantur hi etiam Tyranni titulo & exercitiò simul, & hi omnium sunt sceleratissimi.

Thef. (XIV.) Primi divisionis membri exemplum non incitum fortasse in Julio Casare videre est. Qui non consentiente & decernente populo Romano tantam potestatem est consecutus, sed dolis, sed vi, sed armis, variisque blandimentis, technis ac persyasionibus consulatum extorsit. Tribunitiamque potestatem perpetuam, itemque Jus censoris ipsemet sibi sumfit. Hic tamen laudabiliter postmodum Imperium administrare cœpit, ac bella cum Pompejo pro Romani populi salute, quod ipsi videbatur, gessit cruentissima.

Thef. (XV.) Secundi membri exemplum elucet in Nerone, hominum impiissimo. Qui cum à populo electus, proq; palatii gradibus Imperator consalutatus esset, ex maximis honoribus, qui ipsi à populo exhibebantur, nil temere accipere voluit, quod cum ejus adolescentiæ nomine (quæ tunc ultra septendecim annos vix excurrerat) non conveniret. Quo nomine cum vano ambitionis æstu vulgus arderet, tantumq; darent affectibus, ut Patris Patriæ nomine eum dignarentur, affectatâ modestiâ, quam ei natura negaverat, titulum hunc ob ætatem recusavit, ut eò magis se probaret populo. Verum e-

167
nim verò hic vitia utcunq; in limine Imperii pressa ed effrena-
tius solvere cepit, quo diutius vires dissimulatione collegerat.
Hujus autem tartaræ immanitatis subsecutæ, non mirum est,
si mens meminisse horret luctuq; refugit. Quamobrem, in-
probitatis summam s. horridiora facinora recensuisse sufficiat.
Dissimulanda quippe horum non sunt vitia, sed proferenda in
publicum, ne silentio videantur approbari. Stupra, que pas-
sim hæc pestis castis ac illibatæ pudicitia virginibus intulit, sicco
prætereamus pede, illarum unicè pudori ac innocentia dando.
Luxum ejus profusissimum Romanisq; opibus plane fatalem
commemorare super sedemus, cum & adeo nostri instituti res
id non sit. Ad Matris saltem, at emeriti præceptoris Senecæ,
ut & Christianorum fata truculentissima nos commoveant.
Qui, ultra fidem ac pietatem, quam utriq; debebat, illorum
tentare viram, nec irritò conatò sustinuit, crudelitate autem
quâ in Christianos delævit, qui non tangatur, næ is æs triplex
circa pectus habere existimandus sit. Cæterum, nec facilior
exitit civibus ac Reip. Rom. quam Antecessorum victoriis,
iâuris ac triumphis auctam locupletatamq;, maximo suo luxu
consumsit. Cujus Reip. navis debilia latera & pondere tot
undarum, quæ in illa arietaverant laxa, diutius navigationem
illam violentam non ferebant. Exhausto ærario preciosissi-
mis illis ludis, quos instituebat, Remp. Romanam ad ultimum
paupertatis adducebat periculum, adeò, ut nunquam atrociori
fluctu salus Reip. Romanæ, quam hujus temporibus inunda-
rit, cujus sub fatali diritate supremum casum fortunaci astruxis-
se videbatur.

Thef. (XVI.) Sed extra culpam prolixitatis nimia id mihi
sit, quod diutius in hujus sceleribus moratus sim, quòd sciam,
nullam meliorem ideam ac exemplar hocce Tyranni esse.
In quo, quasi in compendium Tyrannorum vitia redacta viden-
tur. Quare tacebo cæteros Tyrannos, silebo Phocum Impera-
torem, præteribo Theodoricum Veronensem, Regem Gothi-
cum, Cambysem hic non attingam neutrum Dionysiorum,
nec Phalarim. Stet nobis pro omnibus ille Nero, qui, quid
in

2138.
in Remp; quid in Matrem ac Præceptorem, quid in Christianos, & deniq; in ipsam morum honestatem potuerit, quæsitissimâ diritate voluit experiri.

Thef. (XVII.) Cæterum, cum, uti liquet ex hæcenus dictis, Tyrannus rapiat & invadat alienam Majestatem, raptam violenter ac vehementissimè tueatur, subditis quavis procellâ vehementior incumbat, quæritur non incommodè: an his ad jus recurrendum naturæ, quod vim vî repellendam tam brutis quàm hominibus concessit, ac corripit hoc nomine arma in Invasorem jure merito queant. Satis ardua cum hæc sit quæstio, ac paulo altioris indaginis, operæ videbimur fecisse pretium, si disputatis in utramq; partem sententiis, quid optimum factu nobis videatur, annectamus. Ac (1) quidem salus publica, cujus suprema lex esse debet, non tam svadere quàm præcipere videtur, ut quàm placidissimè res subditorum fluant, & obstacula, quæ felicissimum eursum remorari videbantur, removeantur. Sed cum Tyranni nihil aliud sint, quàm impedimenta illa, quibus civium salus intervertitur, nil equidem ob stare video, quamobrem non sint removendi, quibuscunq; tandem artibus id fieri possit. Quos quippe non absolvat libertas illa, quâ nullis se teneri legibus vanè gloriatur, quâq; se solummodo frui optimè contendunt, qui ad veri Magistratus sortem accedunt. Et quis non unâ horâ ulcisci multorum annorum audaciam, ac legibus senescentibus reddere spiritum mallet, quem eorum insolentia intercludere non dubitarit? Sanè, si emori per virtutem præstat, quam vitam miseram & inhonestam vivere secundum Historicum in Catil. p. 19. à Tyrannorum jugulo vix abstinendum erit. Nec mirum, cum dignissimum juxta ac æquisimum sit, eum tali perire fato, quod optat cæteris, sed Tyranni se viventibus, quæ quæso non verti funditus concupiscunt suffrag. Tom. I. 62. de Neron. p. 107. His confectis rebus cupivit, quod antea semper optaverat, urbem atq; imperium vivus funditus perdere. Et si in continuo metu versandum ac extra securitatis spem posita est omnium fortuna, quis non mature remedium huic timori ac malo tempestatiq; ipsi parare, inducat.

ducāt animum? Cuius si semel coeunt nubes, tam brevi haud transeat, sed in diras procellas ac fulmina mox erumpere consueverit.

Thef. XIIX. Verum enim verò ut hæc fortissima sint argumenta, quæ premere Tyrannorum fortunam videntur, contrariam in partem non minus valida adducuntur, quæ adultam Tyrannorum potentiam durabilem efficiunt. Enim verò legibus tam divinis, quam humanis cautum est, ne privatus contra præpositum Magistratum insurgat, nec resistat divinæ ordinationi, cui nulla lex scripta ac dictata unquam fuit. Absoluto facto ac fortuito Reges ac Magistratus non contingunt hominibus, sed plerumq; ex meritis boni aut mali præponuntur, Numine sic moderante mortalium fata. Delinquent homines in Numen, at nemo delinquentium curiosus de meritâ poenâ: facile Deo hanc curam remittunt. At si iusta ultio eos premat, an non præter meritum nihil sibi contingere cogitare debebant mille ac mille modis peccato expositi. Quare non debent poenam i.e. malum Magistratum s. Tyrannum violenter excutere, sed precibus potius meliorem ei precari mentem ac leniorem. Nec affligentibus deerit poena; Divinitatis sæpè opera hæc sunt, uti furias in ipso successu iam securas, subita excipiat ultio, ne vel unquam improbis timor vel spes absit calamitosis. Decidimus ergo, quod illi, qui violenter se imperio ingerit, nec ullum legitimum prætextum adducere potest, quare se subditis sponte obtrudat, res& jam publicas tam male administret, ut extrema minitari videantur, etiam Tyrannus absque titulo est; Illi, inquam, vi & armis sit, resistendum; Illum autem, qui legitimâ successione regnum sibi vendicavit, non exclusâ electione subditorum commendamus patientiæ & spei, cum omnia divino sic agitentur nutu, tandem omnia in melius esse processura. Nisi tam enormiter hic idem immanis sit ac sæviat, ut per eum tolli prorsus solviq; tandem societatem civilem necessum sit. Hoc n. in casu prævertenda Tyranni vitæ ac salutis communis hominum societas est. A quâ immanitate propè abfuit Neronis truculentia, qui ad interitum perniciemq; subditorum incubuisse à scriptoribus memoratur. Cæterum hæc cum disputamus,
non

2235.
non cuivis privato resistendi copiam factam volumus, sed si Tyrannus naturæ jura pervertat, ad totam communitatem rem tantam delegamus.

Theſ.(XIX.) Sed quo fatali œstro perciti Ageli? Quæ vana sed & pestilens libertatis umbra ipsiſ illuſit? ut genuino ac naturali Regi ſceptroq; legitimè admoto dicam ſcriberent, publicæ quæſtionis infamiâ traducerent, imò extra naturam ſubditorum tam latè progredierentur, ut ſolutum legibus in leges ac jura vocarent, vocatiq; inter injuriæ ſummæ notas ſalutem proſcriberent, ſacrumq; Angliæ declararent? Quis pan quæ furia animoſ eorum lymphavit? Scilicet ſaluti publicæ caventibus Tyrannus, (ſic appellant enimvero!) ac Novator Religionis & corruptor plebejæ libertatis hiſ artibus circumſcriptus tenendus? At ô inſontem Regem, ô candidiſſimum Principem, cujus animi pacem quot innumeræ curæ ac ſolicitudines pro veſtra, ô indigni, ſalute libaverunt? Ac fingite curioſitatem ejus tentaffe religionem; fingite inquam ſaltem. Sufficiens ſanè eum proſcribendi materies, anſa graviffima. Quidni decernitis vero ſcriptis exuendos Imperatores, qui Arianis faverunt olimine dicam capite ſcelerata plectendos fuiſſe. Quid ſi ille, qui res ſubditorum adeò fatigat affligitq;, ut ex incumbente mole ac difficultate anhelare videantur, ſed titulo legitimo gaudet, non reus poſſit declarari, non conveniri ac de ejus factorum inquire ratione? quem quaſo veſtræ deſperatæ cauſæ quærere colorem poteritis, dum eum, quem tuetur natalium ſplendor naturalisq; ſucceſſionis titulus, contemnitis? Sontium ſanè iſta molitio, reorum violatæ Maiestatis. Luetis ſcilicet, quicquid in inſonte capite peccatum à vobis eſt. Nec ullum ſubornatum teſtimonium contaminabit eius memoriam, quem ſuus candor ac integritas tot retro ab hinc annis jamdudum abſolvit. Quod ſuper eſt, DEUS Ter Opt. M. ita influat in corda ſublimium Principum, ut eorum mentes ad concordiam ac dulciſſimæ tranquillitatis ac ſanctæ confœderationis ſtudium amicè conſpirent.

DEO LAUS ET GLORIA.

Ad Præstantissimum ac Politissimum
Dn. Joh. Leonhardum Sauterum,
Amicum suum svavissimum,
publicè disputantem.

Sautere cujus indoles capaciore
Arcaniorum sensuum, seu literas
Tractes Politicas vel historiæ juvent
Et divitisimi ingeni lux omnibus
De Te profectò maximam spem concitant:
Laudem ad Tuam vel maxime est, quod otio,
Dum floret ætas, non cupis marcescere,
Animumq; sanctioribus probe instruis,
Præceptionibus, Politice Tibi
Magistra quas instillat. Ipse gaudeo,
Quoties venustè suaviterq; disseris,
Ut delicatioribus facias satis
Argutus auribus. Quod ipsa comprobat
Tua disputatio diserta, mascula,
Felicioris ingeni index. Fortiter
Hanc si, quod haud ego ambigo, tuebere,
In Literisq; porro perges strenue,
Næ Te decus manebit amplum & gloria,
Quam non dies oblitteret nec invidi,
Quicquid dolor premat, queant extinguere.

Boni ominis & benevolentia ergò f.

Præses.

Dere non pulchrà dum pulchrè disseris, ampla
Nobis profectus das documenta tui
Gratius est equidem cognoscere quid sit honestum,
At nos scire etiam, quæ reprobanda, decet.
Sic SAUTERE malam rem nempe Tyrannida tractas
Sed nosci hæc debet, sit fugienda licet.
Laudo tuum cœptum, cœpto huic insiste nec unquam
Desine, quam data sit debita palma prius.

Casparus Lyserus.

00 A 6414


ULB Halle 3
002 928 094


12

1017








B.I.G.

Farbkarte #13



74

2121

O POLITICA
DE

ANNIDE,


nam
inis asistentiâ
In
bim Academia

ÆSIDIO
ARISSIMI
CI HOLTZMANNI,

uncti, Præceptoris
enerandi.
ilationi subicit

HARDUS SAUTERUS
nicus A. & R.

diem. XXVIII. Novemb.
ntemerid.



BERG Æ
HNERI, Acad. Typogr.
o Is c XLIX.

Dr. A. Krüger
X21X

422

